



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Iustina Valentiniani coniuge, & tensis contra Ambrosium insidiis. Capvt
XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

THEODOR. HISTOR.
*De Iustina Valentianiani coniuge, &
tensis contra Ambrosium insidiis.*
CAPVT XIII.

Per idem tēpus Iustina Valentianiani Magni cōiunx, & mater adolefcētis, Arianæ doctrinæ semina, quæ olim exceperat, filio expromit. Nam fidei ardore mariti sui cognito, toto, quo ille vixit, tēpore hæc occultare studuit. Verūm cum filii sui animum mollem & flexibilē cerneret, errorem in mente sua delitescentem profert audacius. Adolefcens autem matris monita vsui sibi fore arbitratus (nam ad escam illecebris suis naturam delinientem, oculis mentis adiectis, lethalem hamum minime perspexit) primū cum Ambrosio hac de re communicat: ratus, si hunc ad suā perduceret sententiam, se alios perfacilē superaturum. At verò Ambrosius reuocat eum in memoriam pietatis paternæ, & vt hæreditatem, quam ab eo acceperat, integram seruet, cohortatur. Exponit ei præterea doctrinarum differentiam, & quomodo hæc cum doctrina domini, & apostolorum prædicatione consentiant, illæ legibus ecclesiæ spiritus sancti instinctu sancitis perspicuè repugnent. Adolefcens verò, vtpote adolefcens, & à matre errore cæcata incitatus, tantum aberat, vt Ambrosii assentiretur orationi, vt etiam iracundia inflammatus, ecclesiæ parietes turmis perditum, tum graui, tum leui armatura tectorum, circumsideret. Vbi autē fortissimū illum Christi bellatorē his rebus minime perterrefactum videt (eas enim pro laruis, quæ ad terrēdos adolescentulos obiici solēt, habebat Ambrosius) tandem bile cōmotus, palam dat ei mandatum, vt è sacris tēpli vestibulis egrediatur. Tum Ambrosius, nō sum istud, inquit, volens facturus, neque ouile ouium proditurus lupis, neque blasphemix authoribus sacrosanctum Dei templum traditurus: sed si libet me interficere, hic intus vel gladio, vel cuspidē hastæ confodito. Sum enim cupidē & libenter hanc cædem excepturus.

De iis quæ Maximus tyrannus Valentiano Iuniori significauit.

Cap.